



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

Inhaltsverzeichnis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

Vnde & consequenter factum est, vt, qui ad mandata tua omnia dirigitur, omnem viam iniquitatis odio habeat. Non enim possunt hæc duo simul esse, vt & rectitudinem voluntatis, & mandatorum tuorum diligam, & non ex animo omnem viam iniquitatis, id est, tortuositatem execrer, & implacabili odio persequar. Nam sicut aurum, & lapidem pretiosum si diligerem, odissem profectò quicquid mihi talium rerum damnum posset inferre: ita, quoniã tua mandata diligebam, iniquitatis viam odio habui: & quemadmodum aliquod immanissimum marini itineris saxum declinaui, vbi tam pretiosarum rerum necesse est pati naufragium. Quod vt non contingat, longè inde velificat, qui in ligno Crucis cum mandatorum diuinorum mercibus nauigat.

Qui ad  
mandata  
dirigitur,  
odit viam  
iniquita-  
tis.

☐ Phe, id est, Os.

*Octonarius XVII.*

129 **M**irabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.

130 Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis.

131 Os

131 Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.

132 Aspice in me, & miserere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum.

133 Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniustitia.

134 Redime me à calumnijs hominum: ut custodiam mandata tua.

135 Faciem tuam illumina super seruum tuum: & doce me iustificationes tuas.

136 Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

129 Mirabilia testimonia tua: ideò scrutata est ea anima mea.

Mirabilis Dei lex. **V**Ox Hebræa מִאֲרִיכָא si scribatur Pelaper Aleph significat excelsum, arduum, & quod humana cognitione difficile apprehendi potest. Si autem per He significat segregatum, & pro excellentia separatum. Sic solent occulta, & magna à cognitione esse diuisa: & hoc modo testimonia, & præcepta Dei mirabilia sunt: utpote, quæ per celsitudinem difficile attingantur, & per